


FRANCONIA
 AE. seu orientalis
 Francia Typus verus
 et elegans



SALTZBURGENSIS EPISCOPATUS
 seu Iuvavienfis diocesis Chorographia acuratissima elaborata
 ab Marco Setz nagel Saltzburgerfis
 Gerardus de Iode excudebat.



Scala Miliarium

Ioannes à Deutecum
 Lucas à Deutecum fecerunt.

SALTZBURGENSIS DIOECESIS.

Saltzburgenfis piscopatus nomē habet à Saltzbur-
go Metropolitana Bauariæ vrbe, quæ eadē à Saltzach
flu. nomen mutuata est, olim Iuuauia, à iuuando dicta,
Germanicè *Hessenburg*, quod castrum ibi extruxerit Iu-
lius Cæsar, iuuamen seu subsidiū ac refugium legionibus
suis contra Germanos, quos debellaturus erat. Nonnulli
tamen etiam hoc nomen à Iuuauio cognomini ac adia-
cente fluuio obtinuisse credunt. Eam præterea Volater-
ranus Badacum dictam ait. De loci autem huius Incolis
seu Boiarijs suo dictum est loco. Norici pars est hæc tabu-
la, complectiturque præter Saltzburgenles Anasinam re-
gionem, Pintzgouios & Alpes Iulias. Cæterum adiacens
territorium mōtuosum, collibus ac iugis vndique eleua-
tur, quæ Tauri montis cacumina esse vel ipsum nomen
testatur. *Tauri* enim ea Incolæ vocant, in qua etiam opi-
nionē est Vadianus, cuius hæc de ijs verba sunt. Durant
hæc (inquit) in Norico (cuius hæc pars est terra) & Carin-
thia nomina. Multi verò Tauri sunt, hoc est, *Tauri*, vt
ipsi vocant, variè ab accolis cognominati: vt *Zadstatter*
thauri, *Felberthauri*, *Annlethauri*, *Roznthauri*, *Saßti*
nethauri, & innumeri penè alij, adeò alti, vt qui media eos
æstate superât, cum ad verticē peruentū est, frigore infestā-
tur: nullus currubus locus, angustissimi tramites, adeoque
præcipiti subinde asperitate, vt iumentis tantum clitella-
rijs, ac ne his tutò quidem, nisi assuetis, illac iter esse queat.
Grandia verò pericula, cum aut subito exorti vèti in præ-
cipitia deturbant euntes: aut verno tempore immensi
conuolutarum niuium globi, syluas, saxa, iumentaque, &
iuxta fitas persæpè domos funditus auferunt. Mirum verò
in plerisque horum montium locis, cum paulò altius ac-
cesserit Sol, in ipsis niuib. natos vermiculos ceu tineas
quasdam, cerni. Verum his montibus frequentia quoque
aucupia, ac ferarum venatus existit. Plana verò loca con-
sitionibus, agris, frumentoque apta. Paludes quæ frequentes
sunt, pascua præbent: quarum etiam in Bauariæ descri-
ptione à nobis mentio facta est. Fluminibus ac riuulis
indefinitis propemodum rigatur, qui ex eiusdem mōtibus
scaturiunt. Anassus fluuius in Septentrionem fluit, ac
Altzio, Saltzachio, Matichioque; fluuijs oneratur. Traunus
ibidem ex lacubus ortus. Item Mur flu. hinc suos fontes
sumit, necnon & Drauus nobilis amnis, quem etiam Pli-
nius lib. 3. capite 25. è Noricis fluere tradit. Reliqui igno-
biliores riuuli, in hos quos modò nominauimus, exonerant.
Syluis quoque Episcopatus hic non destituitur. Hardio-

nem enim, Hænhardum, & Vveylhardum syluas ad Sep-
tentrionem positas habet. Montes præter supra dictos
Taurus habet in Meridiem versus, Alpes, quos Albin ipsi
vocant. Varijs quoque cognomentis ascitis, vt Villacher,
Albin, Svanberger Albin, &c. item Kreutzpergum mon-
tem, Lettachpergum, & in OEuina valle metalliferos, de
quibus sic cecinit Conrardus Celtis, lib. Amorū 2. oda. 6.

*Qui mihi de celsis nuper fuit Alpibus actus
Oenus ubi, atq; Athesis, murmura rauca facit.
Argenti aeterno scaturit qua uena metallo,
Et ditat totam patriam Alemanicam.
Hic halant liquido, puro & de fonte salina,
Ditantes Bauaros, Austriacosq; duces.
Hic turba est tetra, nigraq; simillima morti,
Qui soluant vastis ignibus æra suis.
Haud credas nostris decocta metalla per ignem,
Sed Phlegetontis mundificata vadis.*

Regionis huius terminos adscribere superuacaneum
existimo, siquidem ij Bauariæ chartam inspicienti statim
obuij sunt, ipsaque eius pars sit. Si situm eius ad regiones
cæli requiras, ab Occidente incipit sub gradibus longit.
32. & 53. minut. vbi Rosenheimium ad Oenum flu. situm
est, desinitque in Oriente sub gradibus longitudinis 35.
minut. 2. vbi Fritsachium oppidū ad Monitzum fluuium
locatur. In Meridie autem in Alpibus Iulij incipit, sub
gradibus latitud. 46. minut. 42. quo loco Villacum oppi-
dum ad Draui & Geyl flu. confluentes, extenditurque in
Septentrionē ad latitud. grad. 48. minuta 27. vbi Branav
ciuitas Oeni & Matachy flu. confluentibus adiacet. Sub-
iacet itaque à medio septimi Climatis, quod est per me-
dium Pontum Euxinum, vsque ad principium octau.
Vnde eius Parallellus Australis est 16. diesque prolixior
horarum 15³/₄. Borealis autem 17. ac dies ibidem prolixior
horarum 16. Vnde eius longitudo est ab Occasu in
Ortum milliariorum Germanicorum 19. aut
Italicorum 76. Latitudo autem à Meri-
die in Septentrionē milliariorū
Germani. 26¹/₂. seu Ital.

HELVETIAE SEV SVICIAE TABVLA.




Helvetiorum nominis rationem apud neminem equidem authorum reperi. Testatur autem Iul. Cæsar lib. 1. belli Gallici gentem fuisse Gallicam, inter hos fines antiquitus conclusam: vt vna ex parte flumine rheno latissimo atque ditissimo, Germanorum agrum ab Heluetijs diuidente, parte altera Iura monte altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios, tertia Lemanno lacu, & flumine Rhodano continerentur. Verum isti Heluetij transgresso Rheno in Germaniam, trans amnes migrarunt, & inter Hercynium nemus, Rhenum & Mœnum confederunt in Kreychgouia, quo ferè loco Eremus Heluetiorum à Ptolomæo ponitur, & in Alsatia prope Heluetum urbem, quæ nunc Selestadiū dicitur. Putantur autè iam ijdè Heluetij interiisse: qui enim hodie veterem Heluetiorum sedem in Gallia tenent, non Galli, sed Alemanni sunt. Nec solùm in Germaniam, sed & in Rhetiam pedem intulerunt, ijque hodie Switteri vocantur. De cuius nominis ratione hæc sunt quæ refert Beatus Rhenanus, in Saxonum (inquit) gente populosissima Vitarum natio fuit, horum pars (quam ob causam, nescio) mutatis sedibus, in Heluetijs confedit, proximè Tigurinos, quorum hodie pagus, mutilato vocabulo, Vri dicitur, nam Turegum à Tyro flu. nomen habet, quasi Turgauiensis tractus extremitas aut angulus. Et mox subdit: Nec ab re cæteris quoque hæc indita appellatio, vel Subsylvanis, vel Lucernatibus, tamen vni pago, cuius caput Kilckgalsium, peculiaris. Switteros ipsi vocant, S. litera adiecit amansibili lingua vulgaris. Adiuuat nostram opinionem, quod ipsi Switteres à maioribus acceptū tradunt, à Suis Germanici maris incolis originem se ducere: quos ingès orta fames domiciliū mutare coegerit. Affirmant tamen alij, quod ob violatam pluries fidem, sedibus suis eiectos, Charolus Magnus in Alpes coniecerit, quemadmodum & Nordalbingorum aliquot millia in Flandriā ac Brabantiam transfudit. Verum in plurimos hæc olim populos diuisa fuit regio. Loca Basileæ vicina Rauraci habitauerunt. Sequani iuxta Mulhusium, Coruantij iuxta Curiam. Sarunetes olim dicebantur, per quos Sara flu. ruit, hodie Sargansi vocantur. Esthiones autem circa Veldtkirchium loca habitasse creduntur. Brigantij verò iuxta Podamicum lacum, quorum nomen & ciuitas, adhuc manent. Vennonos populi ad Athesis fluuij fontes confederant, & præter hos plures populi, quorū vix sedes antiquas coniecturis assequi licet. Cuiusmodi sunt Triumpilini. Eos Plinius ait Euganeorum esse reliquias, vocantur forsan hodie Tripleuer, sedem habentes iuxta lacum Cumanum ac Veltlinum. Camuni, apud hos Ollius flu. oritur, ac etiamnum Camunem vocantur: hos etiam ab Euganeis originem traxisse ac Leopontios esse refert Plinius: Vennonos hodie *die Vinstgoeruer* & Engadiner vocantur, iuxta AEni & Athesis fontes. Vennonates olim, creduntur Veltolini nunc esse. Misauici, quos corruptè forsan Plinius Hisarcos appellat, hodie Maxoser vocantur. His vicini fuere Breuni, reperitur adhuc hodie vallis eiusdem nominis, Breunia vallis dicta. Nauni & Focunates Lepontijs accensentur. His annumerantur etiam Rhetorū aliquot populi, Rugufci *die Rhingouer* & *Rheintaler*. Callacones autem putantur esse *die Algoier*. Lepontij morantur iuxta fontes vtriusque Rheni, & in solitudine Vrsellæ: his connumerantur Iuberi, seu Viberi, iuxta originem Rhodani habitantes. Nantuates putantur habitasse eo loco, quo Heluetiæ pagus est, qui hodie *die VVaat* & *Vcht-landt* appellatur, incipiens à Rhodano, & desinens in Arolam. Seduni autem, Veragri ac Salassy, hodie *die VValisser* & *Ougstaller* vocantur. Heluetij hodie confederati seu *Eydtgenossen* vocantur, postquam suorum præfectorum iugis excussis in libertatem sese vindicarunt. Heluetia olim Transiuranus ducatus dicebatur, postmodum in iurisdictiones ac diuastias complures distracta est. Hodie potior eius pars confederatorum terra dicitur: continetque vrbes ac diuastias seu præfecturas Vri, Switz, Vnderwolden, Turegum, seu Tigurū, Luceriam, Zug, Vallis, Claronam, Solodurum, Bernam, Appenzellam, & nonnullas alias, quæ omnes liberæ sunt, nulli parentes principii. Coniunct præterea valles aliquot, vti sunt Sungouia, Ergouia,

Turgouia, Brisgouia, Nuithones seu Vchtlandiam, Auenticensem tractum, ac Alsatiæ quoque partem. Episcopatus complectitur Basileansem, Constantiensem, Losannensem & Curiensem. Comitatus verò infinitos propemodum, Hapsurgensem, Kyburgensem, Grierensem, Sargansensem, Badensem, Rheinfeldensem, & complures alios. Baronatum ac Nobiliū vix est numerus. Habet autem & præter supra memoratas vrbes plures vix illis ignobiliores. Vindonissa olim celebris, nūc viculus tantum est, vulgò *VVindisch* vocatur, forum Tyberij, *Keyfers stul*. Gaunodurum, Zurtzacam siue Lauffenbergum, Vitodurum, Vvinterdur. Arbor felix ad lacum Acronium, Arben, vulgò Friburgum, Schefhusium, Sangallū. Gens est, vt Volaterranus ait, animæ prodiga, ac bellicosissima, breui vtuntur armatura, pectore tantum, verticeque ac parte interiore lacertorum contacti. Hodie viris iuuenibusque minimè ignominiosum est, & vaccas mulgere, & reliqua puellaria munia obire, quare mirum videri queat, eandem gentem summæ fortitudinis, ac penè infinitæ seruitutis capacè. Tāta horum virtus, robur ac potentia, vt & principes & Imperatores aliquot, dum eos subiugare nituntur, non solùm animus, sed & opes & sumptus defecerint: quod inuiolata eorum fœdera præstiterunt, cuius authores primi fuere Vri, Switz, Onderwalden: ij eiectis præfectis in libertatem sese vindicarunt, Anno reparatæ salutis 1315. ijs deinceps se adiunxere Lucernates. Post hos Zugenses, quos secuti sunt Tigurini, ac mox Bernenses, quos paulatim secuti sunt reliqui, postremi ferè ipsis accessere Basileansem, ac Grifones seu Lepontij, Comensis lacus accolæ, strumosa gens. Regio omnis salubri fruitur aère. Montosa est vsque adeò, vt reliqua Europa vniuersa tot ingètia montium cacumina, tot fastigiatas ad nubes vsque rupes, tot ingentes perpetuò niue induratos montes in collium verticibus nusquam exhibeat, ac hæc regio. Valles rursus tantæ profunditatis, vt abyssum intueri videare, dum è montium iugis in præcipitium prospexeris. Ita tamen aspera duraque hæc tellus, incolarum indefesso labore, industria ac cultura mitescere cœpit, vt nulla parte sterilis sit: quin ad vitam sustentandam producat non solùm necessaria, sed & ea quæ delictijs ac luxui inferuiunt. Frumentum abundè profert, quanquam plerisque in locis, nisi gleba exusta fuerit, sementem frustra proieceris, verum huic incommodo agriculturalum labor ac industria occurrit. Vinum multa loca adeò generosum gignunt, vt Rhenense longè superet, & sapore & virtute. Heluetij præterea armentis abundant, vnde magna illis annonæ facilitas accedit, quam augent venatio frequens, aucupiū singulare, piscatio ditissima, tot non solùm fluminum, sed & lacuum amplissimorum ac piscosissimorum. Flumina verò Heluetiam rigantia sunt, Rhenus: is in AEuatiarū finibus, quos Tauetscher hodie vocant, ex Adula monte duplici fonte oritur, ab origine autè prioris fontis Rheni ad originem Rhodani, si Alpium iuga & præcipitia recto tramite superari possent, non est spacium longius, quàm quod itinere pedestri tribus horis conficiatur. Rectè autem inter has origines ponitur mons Gothardi, olim summæ Alpes nominatus, ex quo prorumpit Ticinis flu. in Meridiem labens, currensque per Lepontios in Italiam. In opposito verò huius montis latere oritur Vrsa flu. quem vulgò *Kus* vocant, transiensque regionē Vrij, labitur in lacum, quem rursus egrediens apud Lucernam, rectè Septentrionem petit, donec Rheno misceatur. At Rhodanus à sui primordio fluit in Occasum, & Rhenus anterior ab origine sua vsque ad Curiam, plagam Orientalem petit. Diffundunturque hi quatuor amnes per modum crucis in quatuor plagas mundi, vt non ineptè montes illi summæ vocatæ fuerint Alpes. Nec procul à Rheni origine Danubij etiam fontes visuntur ad Abnobæ montis radicem, vnde Claudianus ad Stiliconem scribit Rhetiam, Danubium, Rhenumque emittere his versibus:

*Sublimis in arcton
Prominet Hercynia confinis Rhetia sylua,
Quæ se Danubij iactat, Rheniq; parentem.*

Langa-



HELVE TIAE SEV SVICIAE
 QVAE MVLTI CONFOEDE
 RATORVM TERRA DICTVR PR
 MAE GERMANORVM PROVIN
 CIAE GALLIAE ITALIAE QVAE
 CONTIGVAE CHOROGRAPHIA
 VERA ET ELEGANS AVTORE

OCCIDENS

ORIENTES

SEPTENTRIO

MEDIES

45

45

46

47

47